



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.DC.LXX. S. P. N. Benedicti. M.C.XC.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

vita & animi puritate, ut ad primæ vos Ordinis fructus respiceret, & quæ sanctissimi quivis ex Ordine assumpti Pontifices in se susceperant, haud impari zelo ac fervore aggrediretur, Monachicarum Regularum, frugalitatis, & demissionis ubivis memor, nihil ut in ipso, quod mundi spiraret genium, appareret. Illud fixissimum in animo habuit, quod & mihi insinuare dignatus est, allaboraturum se pro virili esse, ne priscis electis ex Ordine Episcopis indignior haberetur, & si cederet vitæ gratia, conatu tamen quanto posset industriam suam comprobaret. Hæc ex summa animi demissione, quam sexcentis signis prodidit, firmissimo per hanc jactō Virtutum omnium fundamento. Nec dubiū tam synceræ mentis candorem Numen respexisse, tamq; sanctam Archipræfulis hujus intentionē, pro ipsa executione operis acceptasse, & quasi emeritum ad præmia vocasse, cum adeo pramaturè tantis ipsam laboribus præriperet haud impari tamen Martyrum patientiâ, ut hæc quoque ipsâ Tutelari suo & Regni Divo Adalberto propior accederet, prius donaret. Accidit infelici chyrurgi manu, ut phlebotomia minus succederet, & vena vel penitus dissecta, vel gravius læsa, brachiū nimiooperè intumesceret, ex quo dolores prorsum intolerabiles & irremediabiles successere, in quibus patientissimè tolerandis ad mortem usque sui ipsius victor extitit; donèc victricia in cœlis præmia mereatur: Reliquit Ordini mœrorè magnum, nec minorem tamen gloriam, inter spectatiora ejus sydera obscurissimâ hæc ætate numerandus.

*IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXXIX.  
S. P. N. Benedicti. M. C. LXXXIX.*

**C**œlum ipsum recreat Redivivi in amplissimo Galliarum Regno, & vicinis Regno provincijs, Burgundia & Lotharingia, miraculum, tot facrarum Amazonum non minus quàm virorum, de carne, mundo, & diabolo adeo gloriosè triumphantiū, cujusmodi non pauca paulo antè, sed jam cœlo receptorum retulimus, multo autem plura superstitem referre possemus, sancto autem rubori eorumdè parcimus, & Dei gratiam in illorum gloriosissimis pugnis veneramur, glo-

riam deprædicamus. Et revera Mons Martyrum, Vallis Gratiarum, suo dignissima nomine Monasteria Parisios supra omnem aliam Majestatis Regiæ Urbis amplitudinem, populorum frequentiam, Palatiorum magnificentiam valorem suum Numini ipsi commendarunt, ut nihil de Sanctorum Vitoni & Hydulphi, nihil de S. Mauri amplissimis Congregationibus, nihil de Calvariensibus, nihil de Venerabilis Sacramenti monialiū amplissimis cœtib; nihil de Pœnitentiariarū aliarumq; monialiū prodigiosis planè exemplis memoremus, ut ad me indubitata fidei, minimè testis ambitiosus, nedū temerarius, confidentius & syncerius scriberet: *haud florentiore in statu Gallias Magnū illū Admirabilis Patris & Patriarche BENEDICTI discipulum Divum Maurum ad supera raptum reliquisse, quàm hodie cœlo descendens, Visitationemque instituens, idem Ordinis Sanctissimus Institutor sit reperturus*: Regijs tenellulis puellulis, vix minora Magno Antonio tentantibus, imo si per Superiores liceat, præstantibus, ut merito omnes evanescant excusationes in peccatis, temporibus nostris tanti rigoris Regularū non quadrare cum Dictatoris Regularū unici simul vires optumæ debilium voluntati largientis non attendunt; sed tepidis suis, imo nullis conatibus omnia metiuntur, atque utinam, teste Numine apud Venerabilem Annam de Bois, non mentiantur.

*IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. LXX.  
S. P. N. Benedicti. M. C. XC.*

**R**EDIVIVI in se Patris BENEDICTI, filiam quàm simillimam Sponsam singulari torquis aurei & monilis incomparabilis pignore obligatā, hoc anno ad nuptias rapit Agni immaculati effusum in terras cœlum, & Virginum sponso sistit Venerabilem Mariam Joannam Bonhomiam, Virginum suæ ætatis miraculum, Sydus Italiæ, imò Ordinis Benedictini universi longè illustrissimum, quod ipse bonorum omnium auctor & opifex ad limam exquisitissimæ suæ voluntatis ita eliminavit, ut dignissimū diademate suo effecerit, haud minus splendide gemmā illā, quam dono Virgini dederat, expolitum, nec minore splendore fulgidum: Talis Joanna nostra fuit

*Ven. Maria  
Joanna de  
Bonhom.*

fuit, qualē, qui elegerat, ut aeternū placeret, sibi ipse finxit, ipse composuit, ipse excoluit & exornavit, & in ipsā magnificus videri etiam à nobis voluit, ne quod olim poterat, etiam hodie non posse dubitarem, in cujus gratiæ ornatu ipsi etiam Coelites recrearentur, uti in ejus assumptione lætati sunt & tantos ipsi favores, tanti sponsi amores gratulati, ut facile de Ipsius BENEDICTI Patris gratulatione ominemur, imò omnes veri ejus filij, & ipsi & nobis gratulemur de Patrona tanta, apud Omnipotentem tantum prævalente auctoritate & gratia, ejus exemplo docti, quantum etiam hodie possit Regulæ sanctæ exacti studium, & perfectior Voluntatis propriæ extinctio, quæ Crucifixo amoris ita Joannā sponso copulavit, ut una cum ipso configeretur, ut sacris etiam stigmatibus, uti Seraphicus ille Franciscus, prodigiosissimis summæ dignitatis & amoris signis toti mundo, cœlisq; ipsis summè æstimandis notaretur, & insigniretur. Ut jam non minus in sua effigie tantis insignita signaculis, dissidentibus propriæ fragilitati, & in præceptis Regulæ, fingentibus laborem in præcepto, cum Apostolo ingerat: *De cætero nemo mihi molestus sit, Ego enim stigmata Domini IESU in corpore meo porto.* Et: *Gratia Domini nostri IESU Christi, cum Spiritu Vestro, fratres:* Si tamen Spiritu, & non potius secundum carnem vivatis.

*Altera  
Teresia.*

*Verè Christo  
suo compassa.*

Mariam Joannam, viri doctissimi, iidemq; Religiosissimi, haud quidquā minus gratiā valuisse apud Divinam Majestatem, quā valuerit magna illa Teresia, & Senensis Catharina, pro certo habent, & revera tanta sunt, quæ in ipsam contulit omnipotens, ut nulla satis admiratura posteritas sit, nec ullā satis seu linguā seu pennā exprimi possint. Fuit à teneris unguiculis miris illustrata visionibus, miraculis gloriosa, & Spiritu Propheico donata, tantis tantos juxta favores tentationibus & tribulationibus excocta, ut nemo non vel solum exaudiens exhorrescat, quin & patienti Christo Sponso suo non solum, ut diximus in Cruce confixa, sed per omnia totius sacre passionis supplicia compassa, flagellata, spinis coronata, confusa, contusa, ut Archimartyrem jure deprædices, Regi Martyrum ita conformatam, ut nil nisi sola

Numinis gratia, vitam tanta inter tormenta roboraret: quæ tanta ejus patientia meruit, ut solenni prorsus Sponsaliū festivitate Sponsam sibi Virginum Sponsus copularet, frequentissimum inter testium summæ auctoritatis numerum, sponsum advenientem comitantium, tantoque actui præsentium 12. Patriarcharum & Prophetarum, 12. item Apostolorum, totidem Martyrum, totidemque Confessorum ac Virginum, Ipsa quoque Virginum Virgine Matre sua, applaudentium & congratulantium universorum. Certè Joanna hæc, tantum Divinæ in se operantis gratiæ, & charitatis miraculum fuit, quod non uni solum huic obscurissimo sæculo, in exemplum Sole omni illustrius Divinæ in suos benevolentiae charitatis, & largitatis inexplicabilis, sed pluribus sæculis suffecisset, huic autem postremo in singularissimum Benedictini Ordinis excitamentum provisum, destinatum & concessum, quod ipsum animadvertens invidentiæ primus author Cæcodæmon, nullis non artibus impedire conatus est, ut tam luculenta Divinæ gratiæ argumenta in scripta, & publicum proferri impediret, adeoque prodigiosū BENEDICTI in Joanna filia verè REDIVIVI ab tanto exemplo fructus nequitiosissimè interciperet, etsi frendente ipso, omnes ejusdem astus & fraudulentia, summa cum ipsius confusione proderentur, atque ex his ipsis tanto magis Veritas elucesceret, & fervor imitandæ tantæ Virginis accenderetur. Prodiit Vita Sponsæ hujus lectissima ipso Operis hujus jam finiti anno 1679. ita ut quæ cuique debebantur anno, prodigiosissima prorsus Divinæ gratiæ in Joanna miracula inserere nequiverimus, quæ singula omnem etiam sensum refulscitare extinctorum potuissent ac debuissent.

*IESU CHRISTI ANNUS. M.DC.LXXI.  
S. P. N. Benedicti. M.CXCI.*

Solus pro multis sufficiens in exemplar BENEDICTI REDIVIVI annis, imo pro sæculo integro Eminentissimus S. R. E. Cardinalis, Fuldenfis & Campidonensis Princeps & Abbas Bernardus Gustavus Badensis Marchio Serenissimus Austriadum Regum & Cæsarium multo nomine & Sanguinis jure consanguineus, totum volumen elogi-

*Dispensatio  
mirifica.*

*Bernardus  
Marchio  
Badensis.*